



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Dvbivm I. Quid sit Privatio, & an ens reale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

ccxxv. Objicies 1^o. Subsistentia non potest alteri uniri; quin illi effectum aliquem formalem tribuat, aut aliquem ejus defectum suppleat; atqui subsistentia Divina nullum effectum formalem accidenti tribuere potest; nec apparet, quem ejus defectum suppleat, ergo, &c. Probat minor pro prima parte; quia si quem effectum formalem tribueret, maximè esset existeret, & hunc non, quia existentiam habet à se, non secus ac formæ substantiales, vel subsistere, & hunc etiam non, quia subsistere proprium est substantiæ; ergo, &c. Probat minor pro secunda parte; quia nullum est fundamentum adstruendi complementum aliquod substantiale accidentis, ab eo realiter distinctum, præsertim, cum nequidem tale complementum substantiæ admitteremus, si aliter Mysterium Incarnationis explicare possemus, ergo, &c.

ccxxvi. Respondeo negando minorem pro 1^a parte; effectus enim, quem tribueret subsistentia accidenti, (si nolis esse, sed sine ratione, esse subsistens) esset esse unitum unione terminatâ, ut terminatâ ad subsistentiam Divinam, quod haberi non potest per unionem præcisè; unio enim quæcunque terminata, ut terminata essentialiter importat terminum, ad quem terminatur: tamen dici potest effectum, quem illi spectato secundum potentiam obedientialem tribueret, fore esse subsistens; nam ab inesse ad denominari fortè sequitur, cur enim omne subjectum non esset capax denominationis formæ, cui forma est capax inesse? ut fufius ostendemus infra: & 1^a Parte. hinc patet ad 2^{am} partem minoris, & ejus probationem; supplet enim defectum subsistentiæ accidentis, ei secundum potentiam obedientialem convenientis; & fundamentum hujus subsistentiæ sumitur, tum ex pro-

batione Resolutionis, tum ex non repugantiâ accidentis ad esse subsistentiâ terminatum secundum potentiam obedientialem, quæ cum sit extrinsecè Dei omnipotentia, extendi debet quantum sine aperra repugnantia potest.

ccxxvii. Objicies 2^o. impossibile est substantiam inhærere, ergo & accidenti subsistere. Pro solutione hujus objectionis, vide Disputationis 3^a Dub. 5^{um}.

ccxxviii. Objicies 3^o. absurdum est inter formam accidentalem, & personam Divinam dari communicationem idiomatum; nam, vel Deus deberet dici albo substantivè, vel albus adjectivè, quorum utrumque est absurdum, ergo, &c.

ccxxix. Respondeo distinguendo majorem; absurdum est inter formam accidentalem, & personam Divinam dari communicationem idiomatum per modum prædicationis substantivæ, concedo majorem; & ratio est, quia illa oritur ex assumptione naturæ completæ; per modum prædicationis adjectivæ; nego majorem; quid enim sicut Verbum rectè dicitur unitum, Incarnatum, &c. posset illo casu persona Divina dici albo? nam eodem planè modo se haberet persona Divina ad albedinem, sicut se habet Verbum ad unionem, carnem, &c. si verò album concipias quasi importare albedinem inhærentem, & informantem per modum formæ sustentationis, id, de quo in concreto prædicatur, ad potentiam naturæ attendis, non ad obedientiam Divinæ omnipotentia à natura debitam; quare tuus corrigendus est conceptus, & attendere debes ad alia familia, videlicet esse unitum, (præsertim, cum ex præmissis Dub. 4^o. unio inter materiam & formam sit accidens) incarnatum, &c.

DISPUTATIO QUINTA.

De Privatione.

DVBIVM I.

Quid sit Privatio, & an ens reale.

ANte Resolutionem
I. Suppono 1^o. negationem posse dupliciter sumi, 1^o. pro propositione vocali, mentali, &c. negativa, quæ enuntiamus non esse alicujus, ut *Petrus non est lapis*: 2^o. ut est præcisè non esse alterius, ut tenebræ respectu lucis, cujus sunt non esse, cæcitas respectu visus, &c.

II. Suppono 2^o. negationem esse duplicem, unam essendi; negatio essendi juxta primam acceptionem est, quæ enuntiat non esse alicujus in se, ut cum dico, *Antichristus non est existens*; juxta secundam (quam impotenter ordinariè sequemur) est præcisè non existentia alicujus, Antichristi v.g. alteram habendi; negatio habendi est negatio formæ in subjecto, quæ est duplex, una strictè, quæ confunditur cum privatione, & est negatio formæ in subjecto, commorando ejus capacitatem ad formam illam recipendam; altera latè, & est negatio formæ in subjecto nullo commorando capacitatem, &c.

RESOLUTIO I.

III. **D**ico 1^o. Privatio est negatio formæ in subjecto capaxi. Iy negatio est genus, utpotè communis ad negationem essendi & habendi; cætera sunt loco differentia.

RESOLUTIO II.

IV. **D**ico 2^o. Privatio non debet dici ens reatum: Iy privativum, negatio ens reale negativum: est contra PP. Poncium, Telles, & alios plures.

v. Probat, quia (præterquam quod ibi videatur esse contradictio in terminis, nam ens reale privativum æquivaleret; ens reale non est ens reale) privatio dicit solam negationem, ac proinde solum non ens reale in recto, formam verò, sive ens reale quo privat, & subjectum capax, in obliquo; unde sola negatio, seu non ens reale, affirmatur de privatione; ergo privatio in recto, solum est negatio, seu non ens reale, & non, ens reale privativum.

VI. Confirmatur: per ens reale privationem, vel intelligitur privatio, & sic dicitur idem per idem, & æquè obscurum: vel ens reale habens privationem, & sic privatio esset ens reale in recto, & negatio in

in obliquo tantum, quod nullus admiserit, magis quam hanc propositionem, *privatio est ens reale habens negationem, &c.*

RESOLUTIO III.

VII. **D**ico 3^o. Privatio dici debet medium inter abusivè dicitur esse, ut *cacitas est, tenebrae sunt*; nam cum esse sit proprium entis, illarum propositionum est hic sensus, *cacitas est ens, tenebrae sunt ens*, qui est apertè falsus; quare dici debet, *visus non est in oculo, lux non est in aere*; ac proinde illud medium explicari debet per non esse entis realis ante animam, si ante animam; vel per non esse entis animæ, si post animam.

VIII. Dices fortè, ante animam est distinctio inter Petrum & Paulum, sed distinctio secundum nos est negatio identitatis, &c. ergo negatio est ante animam.

IX. Respondeo distinguendo majorem, ante animam est abusivè distinctio inter Petrum & Paulum, concedo majorem; est propriè, nego majorem; licet enim ante animam propriè, dicatur *Petrus non est Paulus, Petrus est distinctus à Paulo*, id est, est res connotans negationem identitatis cum Paulo; abusivè tamen dicitur est distinctio, propter rationem in Resolutione datam, quia negatio propriè non est; sed ens duntaxat.

X. Instabis fortè: eodem modo se habet non ens ad esse, sicut se habet ens ad non esse; sed propriè ens non est, ergo etiam propriè, & non abusivè tantum non ens, sive negatio, est.

XI. Respondeo distinguendo minorem; sed propriè ens ut ens non est, nego minorem: ens quod fuit ens ut tale non est, concedo minorem: similiter distinguo consequens, ergo propriè non ens ut non ens; sive ut negatio, est, nego consequentiam; non ens quod fuit, ut ens, est, concedo consequentiam, sed illud, non est necessariò negatio pura (de qua hic agimus) sed ens ante possibile jam habens existentiam; unde propriè dicimus *ens*, quod fuit, ut tale non est, & *non ens*, quod fuit ut ens, est; sed tunc per *non ens* non intelligimus negationem, medium inter ens animæ & reale; nam *cacitas* v.g. sive quæ est, sive quæ fuit, nunquam est ens, ac proinde

nunquam est; sed id quod aliquando est ens positivum, quod ens, visus v.g. qui fuit, aliquando est, & aliquando non est, quando scilicet nondum fuit, aut desit, unde manet lata disparitas. Ex his

XII. Colliges 1^o. abusivè dici distinctionem realem esse ante animam, & debere dici, unum ens reale ante animam non esse aliud; prima tamen locutio toleratur propter autoritatem communem.

XIII. Colliges 2^o. negationes & privationes quarumcumque rerum, etiam materialium, non posse in se cognosci, quia non sunt entia, sed non entia; cognitionis vero objectum in se cognoscibile est ens; sed per res, quarum sunt negationes & privationes, cognosci debent, ut vel ipsa experientia docet; non enim aliter cognosco cæcitatem, quam per absentiam visus ab oculo; tenebras, quam per absentiam lucis ab aere: unde non nisi abusivè dicimur videre tenebras; nec hujus dicti alia veritas esse potest, quam, quod non videamus lumen, aut objectum, quod videremus, si lumen adesset.

XIV. Colliges 3^o. negationes ac privationes multò minus dici posse ens reale negativè tantum expressum; quia sic reverà essent ens reale, & ab eò solâ expressione distinctæ.

DUBIUM II.

An in materia sint plures privationes, & an illæ sint capaces intensiōnis & remissionis.

RESOLUTIO I.

XV. **D**ico 1^o. in materia sunt tot privationes, quot sunt possibiles formæ, quæ absunt.

XVI. Probat, quia illud nihil aliud est, quam non esse tot formas in materia, quot de factò non sunt, & esse possunt, quod omnino verum est, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

XVII. **D**ico 2^o. Privationes sunt capaces intensiōnis & remissionis, pro capacitate formarum, quarum sunt privationes.

XVIII. Probat, quia unus dicitur alio magis vel minus cæcus; aer uno tempore magis tenebrosus, quam alio, ergo, &c.

DISPUTATIO SEXTA.

De Unione inter Materiam & Formam.

I. **Q**uia dicturi sumus unionem esse modum quemdam ab extremis suis modaliter distinctum, & passim in sequentibus occurrit sermo de modis, circa naturam modorum, sit

QUESTIO CVL I.

Quid sit modus in genere.

II. **M**odum communiter definiunt multi, id quod ex debilitate suæ entitatis est immediata & actualis determinatio extra animam ad effectum formalem; vel ut alii, immediata & actualis informatio: Definitionem suam probant inductione; omnes modi in particulari, actio scilicet & unio sunt ta-

les, ergo & modus in genere: consequentia patet; probant antecedens, quia alioqui modi in particulari essent indifferentes ad effectum formalem tribuendum, vel non tribuendum, deberentque ad illum tribuendum determinari per aliud, quod vel esset immediata & actualis determinatio ad effectum formalem, vel non? si prius, quidni idem dicitur de primo modo? si posterius, debet etiam determinari per aliud, de quo idem quæretur, & sic in infinitum; quia non est major ratio, quare unum esset immediata & actualis determinatio ad effectum formalem, quam aliud; sed talis processus tanquam absurdus & superfluous est vitandus, ergo, &c.

III. Sed contra est 1^o. quod non apparet, cur, sicut datur ens perfectissimum in existentia ab alio